

1804.



JOSEPHUS MÁRTONFI

DE CSIK-MINDSZENT, DEI, ET APOSTOLICAE SEDIS
GRATIA EPISCOPUS TRANSILVANIAE, S. C. R. APOSTO-
LICAE MAJESTATIS STATUS, ET EXCELSI REGII GUBER-
NII CONSILIARIUS UTROBIQUE ACTUALIS INTIMUS.

Venerabili Clero Dioeceseos suae tam Seculari, quam Regulari salu-
tem a Domino sempiternam.



Uum Vobis, *Venerabiles Fratres, et Dilecti in Christo Filii*, anno superiorè quaestiones de casibus reservatis resolvendas propo- neremus, illa simul intentione fuimus, ut ea occasione statuta quaedam de administrando Poenitentiae Sacramento, re ad salutem animarum gravissimi momenti, Vobis praescriberemus, quibus de legum Ecclesiasticarum, in hoc genere editorum, uti et Statutorum a Decessoribus Nostris conditorum ad praesentia rerum, et temporum adjuncta applicatione voluntatem nostram declararemus. Quo in proposito etsi tam rei ipsius diuturna discussione, quam diversissimis, gravissimisque negotiis diutius, quam optassemus, retardati fuerimus; non existimamus tamen curae animarum, divinitus nobis concreditarum, hac in parte nos defuisse, cum tam Decreto Nostro dd-º 8. Decembr. Anni 1800, quam subinde omnibus ad nos recurrentibus seu scripto, seu viva voce indi- caverimus; quid cuique communicare de potestate nostra velimus. Jam vero urgente tempore, ac rebus utcunque paratis, aperiendum hoc Edicto, et compendio Vobis exhibendum censuimus, quid de iis, quae proposueramus, senti- endum, observandumque judicemus, prolixis dissertationibus, et citationibus Vos non moraturi, abunde alioquin per vos ipsos exhaustis.

Itaque auditis jam suffragiis Vestris, iisque per Venerabiles Fratres No-
stros Canonicos, totumque Consistorium Nostrum ad trutinam vocatis, sequen-
tia de quaestionibus illis, et quae cum iis connexa sunt, decernimus.

i.) Jus atrociora quaedam delicta a communium Curionum, aliorumque Confessiorum judicio eximendi, talesque peccatores in ordine ad veniam im- petrandam, eorum subditos non esse, declarandi, atque adeo novos etiam casus seu in Synodo Dioecesana, seu extra eam reservandi quemadmodum Divinae, humanaeque leges Nobis tribuunt, ita recte a nemine in dubium vocatum est. Hujus potestatis Nostrae concii mox ab aditu regiminis Nostri proposueramus, graviora quaedam, et in publicam potissimum perniciem vergentia crimina, pater usitatos casus reservatos, Nobis, et iis duntaxat, quibus diserte a Nobis haec potestas fieret, reservare: eum scilicet ex hac reservatione fructum speran- tes, quem Sancta Universalis Ecclesia semper intendit. Verum diligentiore ho- minum, et morum vestigatione instituta, haustaque rerum pleniore notitia, ipso usu comperimus, veterem Ecclesiae disciplinam et temporum vitio, et externa vi adeo enervatam esse, ut non multi jam vel dedecoris, vel poenae, etiam

§

posthu-

1273 215

Administrati Nagy Halmágyiensi.

posthumae, horrore a negligenda Sacramentorum Poenitentiae, et Eucharistiae, ipso adeo tempore Paschali, frequentatione deterrentur. Quibus si plures difficultates impecrandae absolutionis, objiciantur, malunt peccatis omni vita inforsescere, quam difficiliora iis remedia quaerere: qui tamen occasione oblata a prudente, pioque Confessario ad veram poenitentiam, et vitae emendationem perduci poterant. Consultius igitur existimavimus, non augere difficultates impecrandae absolutionis, dum se peccatores rite dispositi ad poenitentiam offerunt, non tamen relaxata reservationis disciplina, quod e sequentibus uberior perspicietis. Facile autem ipsi Vobiscum statuetis, quanta peritia, prudentiaque temperata severitas Judici, Medico, et Magistro animarum necessaria fit, qui plura, et graviora crimina tribunal suu subjecta habebit, ne reos una secum in aeternam damnationem trahat; quantamve grave adeo munus vitae propriae Sanctimoniam requirat, ne coecus coeco ducatum praebeat, Divini luminis, sine quo munus hoc administrari nequit, aditum propria morum pravitate ex animo suo excludens.

2.) Alia erat ratio quaeftionis, multum in utramque partem per Vos disputatae, an integrum fit Praelato in sua Dioecefis reservationem casus alicujus, in Synodo Provinciali definitam abrogare? Quae quidem quaeftio universe, positis omnibus ad vim obligantem Synodi Provincialis requisitis, et stante usu ejusmodi Synodorum, rectius negative resolvitur, cum id genus abrogationis intentio moram, et deliberationem patiatur, atque ad proximam Synodus Provincialem referri possit: editis praesertim ea de re etiam declarationibus Pontificiis. At quatenus Nos in argumento versamur casuum in Synodo Provinciali Tyrnaviensi Anni 1611 reservatorum, et perpetuo usu in hac Dioecefis retentorum, multa contra vim Synodi illius in Transilvanos extensam, multa ex abrogata celebratione Synodorum adferri possunt pro tuendo jure nostro casuum illorum, aut aliquorum ex iis reservationem abrogandi: multum denique ponderis addit ipsius Pazmanni exemplum, Synodo quidem Provinciali anni 1611 subscriptentis; in sua tamen Synodo Dioecefana anni 1629 alios casus reservantis. Ceterum ut haec integro ante Benedictum XIV. Seculo accidere, ita Nos et summi hujus Pontificis authoritate, et longaevi usus, uniformitatisque reverentia, exemplo denique, et consilio quorundam Fratrum Nostrorum Co-Episcoporum ducti, casus illos anni 1611 in Directorio nostro intactos reliquimus; patente nobis alioquin faciliter ad Sedem Apostolicam, si necesse foret, recursu, dum pro Sacrorum liminum visitatione de statu Ecclesiae Nostrae ad summum Pontificem referimus. Accedit, quod omnium judicio, et ex rei natura, in Nostra potestate situm sit, casus eos explicare, ac ad nostra rerum, et temporum adjuncta applicare.

3.) De hac explicatione, et applicatione e diversis, quae suggestis, consiliis eligimus illud, quod de sententia VV. Fratrum Nostrorum Canonicorum, et totius Consistorii nostri promptissimum judicamus, ut videlicet interim ea explanatione casuum horum uti possitis, quam V. Frater noster, modernus Capituli Ecclesiae nostrae Cathedralis Praepositus Major in opere suo *de Charitate initiali*, in annotationibus ad Caput X. pag. 422, seqq. digessit. Quibus ad casum nonum addimus: *Veneficorum* nomine etiam eos intelligendos esse, qui sine ulla arte magica toxicum aliis porrigunt, quo saepe conjuges, heri, aliive inadvertentes aut vita privantur (quod alioquin homicidium est) aut membris capti perpetuae calamitati objiciuntur. Addimus praeterea, magicis artibus detinos

ditos non solos illos accipiendos, qui e pacto cum malo daemone, ejusque auxilio mira supra notas naturae vires exercent. Tales enim vix unquam ad tribunal conscientiae coram Vobis comparebunt. Sed eos praecipue hic sumendos, qui talia adtentant, et atra bile, vehementi phantasia, metu, spe, odio, aliisque inconditis motibus acti mira, et scelestata se agere, patique vel optant, vel somniant: eos item, qui puris non raro physicis, et in potestate humana sitis utuntur causis ad certos fines, ceu herbis ad medicamenta, aliisque similibus; se tamen ipsi arte supra naturam, praestigiisque uti falso sibi persvadent, et superstitiones in operibus alias pure naturalibus adhibent ritus. Atque ex his colligitur, quanta cura, atque sollicitudine populus dedocendus sit errores hujus generis, quanto item studio, quanta solertia ipsis animarum Pastoribus opera adhibenda sit, ne ipsimet in vera Philosophia, in viribus naturae physicis, chimicis, et mechanicis rudes sint, et multiplicem magiam naturalem sine intentione superstitione exercitam, eamque utilem pariter, ac oblectantem, magiam illicitam esse putent, certi enimvero, plurimos, maximosque errores hac in re ab hominibus, Pastoribus, Judicibus aphilosophis commissos esse.

4.) Quid agat Sacerdos, qui sine facultate a reservatis poenitentes extra articulum mortis absolvit? quaestio haec a maxima Cleri parte rite resoluta est. Talem videlicet Confessarium nihil agere, id est, non absolvere valide: imo male agere, graviter peccare, ac excommunicationem incurrere, si sciens, vel ex ignorantia juris crassa, aut affectata absolvat. Etsi autem e Clementina I^{ma} de Privileg. excommunicatio haec in solos Regulares lata esse videatur, e Declaratione tamen S. Congregationis, negotiis Episcoporum, et Regularium praeposita, a Clementae VIII, Paulo V, et Urbano VIII. confirmata pater, hanc poenam in omnes Sacerdotes extensam esse. Porro ignorantia reservationis in confitente non liberat eum a reservatione; in Confessario autem (si aliquando invincibilis ignorantia in eo possibilis esset) eum a solo peccato, et excommunicatione immunem, non vero actum ejus absolutionis validum redderet. Insuper clarum est, Confessarium Epikia uti non posse in actu absolutionis a casu reservato, nec judicium probi Sacerdotis, aut praesumti, aestimati cujuscunque Judicis, periculum scandali, desperationis hic suffragari: absentem autem a peccato nulla ratione absolvi posse, neque praesentem *indirecte* a reservatis. Quam indirectam absolutionem a reservatis licet aliqui e mente S. Antonini, et S. Caroli Borromaei tueantur, post Concilium tamen Tridentinum opinio illa S. Antonini nuspiam locum habet, et S. Carolus doctrinam illam in actis Ecclesiae Mediolanensis repertam, in proprio suo opere, *Instructione Pastorum*, Parte II, Capite X. totam ad mentem Concilii Tridentini conformat. Neque nos igitur in Diocepsi nostra per indirectam ejusmodi absolutionem laxandae morum disciplinae viam pandi, sed sanctioni Tridentinae ad literam inhaereret volumus. Fure Praelati, qui casus reservatos ex ambone quovis anno publicari, aut confessionalibus adfigi pro poenitentium directione curarent. Nos vero morem hunc ob causas facile cuivis occurrentes in moderno hujatis disciplinae statu adhiberi, nolumus.

5.) Quemadmodum autem haec legum severitas ad morum, et disciplinae Ecclesiasticae integritatem sartam, tectamque conservandam tendit, ita ex adverso providendum nobis est, ne, ut principio statim innuebamus, multum immutato rerum, et animorum statu, in aeternae damnationis periculo quosdam relinquamus, quos nonnulla, eaque legitima indulgentia eripere inde possimus.

Itaque facultatem a peccatis, nobis reservatis, absolvendi omnibus iis, quibus hucusque scripto, vel viva voce impertiti sumus, confirmamus. Universe autem eam tribuimus omnibus Archidiaconis actualibus, et Vice-Archidiaconis, vacantem Archidiaconatum administrantibus; ita quidem, ut hi Archidiaconi, et Vice-Archidiaconi facultatem illam toto tempore Confessionis Paschalis, et solemnis quibusdam diebus, ubi magnus populi confluxus est, omnibus Sacerdotibus Districtus sui, quos in Domino idoneos judicaverint, non solum de casu in casum, sed pro quovis casu subdelegare possint, alias autem de casu duntaxat in casum. Regularibus per nos, aut Decessores nostros adprobatis eam in hoc genere facimus gratiam, ut Provinciarum Praefides, et Domiciliorum Superiores, donec his muniis praesunt, non solum ipsi hac potestate uti, sed etiam subjectis sibi Sacerdotibus, quos in Domino idoneos censuerint, eam tempore Confessionis Paschalis, et solennibus cum magno populi confluxu diebus pro quounque casu subdelegare valeant, alias autem de casu in casum. Eandem absolvendi potestatem largimur S. Theologiae Lectoribus tam actualibus, quam emeritis, sine facultate tamen subdelegandi, nisi Superiorum munere fungantur. Unum praeterea excipimus casum, qui attentionem nostram praecipuae mereri visus est. Dum videlicet pro laudabili (atque utinam ubique observando) more nupturientes ad Parochiam alterius partis (plerumque Sponsae) pro contrahendo Matrimonio convenient, iisque ibi Sacra Exomologesi, ac Synaxi refectis post Missarum solennia nuptiis benedicitur. Quo tempore si contingat a Sponso, aut Sponsa casum reservatum ad tribunal poenitentiae adferri, nullo alio Sacerdote, quam copulante, praesente, eoque facultate a reservatis absolvendi destituto, non sine ingenti rerum omnium confusione, periculoque ipsa copulatio, et benedictio nuptiarum abrumpenda foret. Pro quo igitur casu cuivis tali Sacerdoti facultatem absolvendi a reservatis concedimus. Non minorem a nobis indulgentiam meretur casus haereseos externae, a quo, nisi ad forum contentiosum deductus fuisset, ad exemplum Decessoris nostri, omnes ad gremium S. Matris Ecclesiae redeentes absolvendi facultatem damus cuivis Sacerdoti, a nobis aut Decessoribus nostris adprobato, qui tam felix fuerit, ut verum convertitam habeat: imo in prima talium Sacramentali Confessione licitum sit cuivis Sacerdoti, ut diximus, adprobato ab omnibus etiam aliis casibus, tam nobis, quam Sedi Apostolicae reservatis poenitentem absolvere. Et Papalium quidem casuum etiam aliis occasionibus eandem prorsus e delegatione Sedis Apostolicae haberi volumus rationem, quam de Dioecesanis superius declaravimus, etiamsi adnexam habeant excommunicationis censuram, nisi haec ad forum externum deducta fuisset.

6) Sed et in aliis quibusdam facultatibus elargiendis indulgentiam nostram poscunt et vastitas Dioecesos, magna locorum, et Sacrorum Curionum inter se distantia, et paucitas operariorum; denique etiam exempla Decessorum nostrorum. Itaque facultatem restituendi jus petendi debiti conjugalis in solo Sacro tribunali, item fidelibus in extremo agone luctantibus Authoritate Apostolica nobis concessa, tam de die, quam noctu e formula per Benedictum XIV. adprobata cum indulgentiis plenariis benedicendi omnibus Sacerdotibus rite adprobatis concedimus. Archidiaconis praeterea, et fungentibus Vice-Archidiaconis facultatem tenendi, et legendi libros prohibitos ad effectum errores confutandi, benedicendi paramenta et vasa Sacra, non tamen Pontificalia, neque ea vasa, et paramenta, in quibus unctione intercedit, potestatem delegamus, cum facultate eam etiam aliis in casu urgente communicandi. Non minus indulge-

mus iisdem, sine facultate tamen subdelegandi, ut commutare possint privato-
rum vota simplicia in alia pietatis opera, exceptis votis castitatis, et religionis,
aliisque tam votis, quam juramentis promissoriis in favorem tertii factis, et ab eo
acceptatis, vel etiam in favorem Ecclesiarum emissis; idque semper fiat extra Con-
fessionem; volentes, in singulis casibus datae dispensationis ipsum votum, commuta-
tionis modum, et rationem ad nos perscribi. Addimus Archidiaconis, et fungenti-
bus Vice-Archidiaconis potestatem dispensandi cum nupturientibus in diversitate
religionis, et tempore vetito, dum rationabilis urget causa; non tamen in de-
nuntiationibus, neque adnexa huic potestati facultate subdelegandi: volumus
autem dispensationes has scripto exarari, ac in matricula Ecclesiae, ubi copu-
latio peragitur, conservari. Denique Archidiaconorum erit, quum Sacrum Cu-
rionem aliquem in Districtu mori contigerit, interim etiam, donec ad nos de
hoc referatur, Administratorem cum jurisdictione Parochiali constituere.

7.) Ampla hac facultatum communicatione limites alias de jure statuti
in regula non extenduntur quidem, ut scilicet cuivis Curioni in subjectos sibi
duntaxat fideles, Regularibus autem in suis solum Ecclesiis, aut in locis, in
quibus Domicilia habent, ea, quae concessimus, liceant. Verum adjuncta Dioce-
ses Nostrae, et Operariorum paucitas, hic quoque indulgentiam nostram
poscunt. Quare omnibus Sacerdotibus tam Secularibus, quam Regularibus
per Nos, aut Decessores nostros adprobatis in nostra Dioecesi eam facimus gra-
tiam, ut in casu rationabilis alicujus necessitatis etiam fideles alienae Parochiae
exaudire possint, re tamen prius proprio confitentis Parocho, si commode fie-
ri potest. ~~secus post audiem confessionem seu in persona, seu per literas in-~~
~~sinuata.~~ Cujus tamen insinuationis necessitas ipso facto cessat, quum devotio-
nis, et indulgentiarum gratia ad locum, ubi frequens confluit populus, ipso Pa-
rocho sciente, et volente peregrini etiam Sacerdotes conveniunt: cessat item
in locis, ubi Regulares Domicilia habentes, et nobis, ac Parochis minime in-
vitis confessiones fidelium communiter excipere, moribundisque adfistere so-
lent. Quam adfistentiam quidem etsi liberam eis esse velimus, cupimus tamen,
ut postquam Sacrum Viaticum, extremamque unctionem infirmis administrave-
rint, id ipsum Parocho loci semper insinuent. Postremo optamus quidem enixe,
ut Sacramentorum Paschalium perceptio a quovis Fidelium in propria Ecclesia
Parochiali peragatur, quod stricti alias Juris esset. Verum cum non ignoremus,
persaepe multum interesse, ut Fidelibus non apud solos proprios Parochos con-
scientiae suae vulnera detegere liceat, non prohibemus, ne Sacraenta illa abs-
que praevia insinuatione per Sacerdotes etiam non proprios administrentur;
volumus tamen, ut testem horum schedulam tales Sacerdotes confitentibus tra-
dant cum inculcata obligatione, illam proprio Parocho praesentandi. Ex hoc
numero Sacerdotum non proprietorum, talibus favoribus instructorum, neque
Presbyteros Graeci ritus, Ecclesiae Nostrae vere unitos, scientiis excultos, et
per suum Episcopum adprobatos, eximimus, a quibus in necessitate Fideles no-
stris sacra Exomologesi expiari sinimus. Volumus tamen, ut Parochi, et Ad-
ministratores Nostrri, qui in loco, aut in vicinia talium adjutorio interdum u-
tuntur, casus nobis reservatos iisdem notos reddant, cum fraterna requisitio-
ne; ut nostra de iisdem sancta quoad fideles Latini ritus observare velint, ne
hos sine fructu absolutionis apud eos se sistere contingat. Iisdem probe cete-
roquin constat, Sacram Synaxim e legibus rituum ab Ecclesia probatis utro-
bique proprio rito sui solum ritus Fidelibus administrari posse.

8.) Tantis rebus gerendis, cum salute animarum tantopere connexis, et tam fevero olim examini coram tribunali Divino subjiciendis, quanta, et quam expedita doctrina, et prudentia necessaria sit, innuimus jam, et facile ipsimet perspicitis. Quapropter Magni Decessoris Nostri jussu omnes beneficium adepti, aut illud, vel Domicilium Regulare mutantes, novo examini, Capellani autem annuo subjiciebantur. Quod Institutum etsi salutare, tantis tamen difficultibus involutum videmus, ut per se in desuetudinem abiisse non mireretur. Nolumus tamen a necessario rigore in re tanti momenti recedere, et ad curam animarum nullum applicari finimus, nisi terminatis omnibus, quae maxime requiruntur, studiis, examine per Consistorium Nostrum, vel per alios a nobis delegatos probatum, et adprobatum. Regulares etiam Parochiarum Administratores nostro duntaxat cum indultu constitui, mutarie volumus. Eam quoque adhibere solemus cautelam, ut quibus in examine aliquid adhuc deesse videatur, ad novum examen post annum subeundum dirigantur. Illud autem impense Archidiaconis commendamus, atque etiam districte praecipimus, ut subjectorum sibi Parochorum, Administratorum, et Capellanorum industriae, studiis, et doctrinae in explanando verbo Divino, administrandisque Sacris functionibus sollicite attendant, eos occasione visitationis pro re nata pertentissimi quos socordes, dissolutos, et in praedictis errantes compererint; eos officii sui admoneant, admonitione frustra adhibita, ad nos deferant, ad Seminarium, aut Monasterium recolendorum studiorum, et vitae spiritualis praceptorum causa relegandos.

9. Adhibemus et alia admodum fervorem facrorum studiorum in Clero excitandi. Nam et puncta pro visitatione Canonica per nos proponi solita quandam doctrinae maxime necessariae anacephaleosin continent, et annuas de quaestionibus Theologiae, morum, et SS. Canonum Conferentias juxta aliud Decretum nostrum dd^o 12. Januarii 1801. adcurate celebrari volumus, de quibus denuo inculcamus voluntatem Nostram, ut omnes omnino jurisdictione Spirituali gaudentes, aut ad eam se parantes propositarum quaestionum resolutiones ipsi scripto exhibeant, in conferentiis discutiendas. A scribendarum resolutionum obligatione eximimus eos duntaxat, qui senio, oculorumque, ac manuum defectu rationabiliter excusari possunt, de quibus Archidiaconi in relatione sua ad Consistorium mentionem facient. Tales nihilominus conferentiis interesse, ac sensa sua depromere jubemus. Regulares quoque Parochiarum Administratores, et Capellanos eadem obligatione teneri declaramus: imo omnes etiam in Domiciliis degentes Sacerdotes, jurisdictione gaudentes, aut ad eam se praeparantes: Conferentiis tamen sufficiet unum nomine Monasterii interesse, qui scriptas reliquorum quoque resolutiones adferat. E concertatione deinde Conferentiarum Archidiaconi ipsimet e majore, ac faniore suffragiorum parte opinionem Districtus formabunt, proprioque scripto, cum omnium lucubrationibus ad Consistorium nostrum referent. Excusationem eorum, qui praetextu curae animarum ad Conferentias haud comparent, interim in negotiis temporalibus alio saepe, ac ad ipsas nundinas, divagantur, minime acceptamus, nisi Conferentiarum plane tempore justis omnino coram Deo causis domi retinerentur, quod scripto ad Archidiaconum referre deberent. Universo de absencia, in qua non paucos committi excessus videmus, sequentia sancimus, gravissima sub animadversione, quam leges ipsae de residentia personali dictant, observanda: ut nempe nemo Parochorum, et Administratorum extra fines Parochiae

tem certos pro concursu terminos defigimus, etiam si nullum tunc vacet beneficium, ne incidente vacantia, si tum primum concursus indiceretur, beneficium diu nimis vacare contingat, sed illa publicata illico se pro ea quisque nobis insinuare possit. Nemo autem sibi blandiatur, sine ullo concursu se ad ampliora beneficia pervenire posse, dummodo certos in cura animarum exigat annos, qui eum ab obligatione concursus eximant. Pro his enim eas habemus conditiones praescriptas, ut eas haud facile per eos implendas confidamus, qui florentioris aetatis annos absque singulari solertia, et solertiae speciminibus exegerint. Quare sibi tales tribuant, si nullo jure petendi aliquid frui possint, sed pro arbitrio Nostro, suisque meritis tractandi sint.

11.) Talium praecipue causa fit, ut multi sine investitura curae animarum adiplicari debeant, de quibus nonnulli scrupulis aliquando angebantur, an fructus beneficii taliter possessi faciant suos, non emissâ professione fidei, nec nuncupato jurejurando, ut in solenni Parochorum institutione fieri solet. Qua de re declaramus in his rerum nostrarum angustiis legitime eos fructibus, quos percipiunt, frui posse, ac ut digne fruantur, a se ipsis pendere: fidei, quam dum initiantur, identidem professi sunt; tenendae, ac tuendae, rerum item Ecclesiae conservandarum, et protegendarum obligatione alioquin naturali eos teneri. Ceterum ut certum hac etiam in re ordinem teneamus, praecipimus, ut omnes Presbyteri tam Seculares, quam Regulares, dum ad curam animarum sine investitura disponuntur, si praesentes id facere commode nequeant, per literas illico se concernenti Archidiacono insinuent, eique professionem fidei a se scriptam, et subscriptam submittant. Si quis hoc negligeret, Archidiaconi erit, eum

8.) Tantis rebus gerendis, cum salute animarum tantopere connexis, et tam severo olim examini coram tribunali Divino subjiciendis, quanta, et quam expedita doctrina, et prudentia necessaria sit, innuimus jam, et facile ipsimet perspicitis. Quapropter Magni Decessoris Nostri jussu omnes beneficium adepti, aut illud, vel Domicilium Regulare mutantes, novo examini, Capellani autem anno subjiciebantur. Quod Institutum etsi salutare, tantis tamen difficultatibus involutum videmus, ut per se in desuetudinem abiisse non mirerur. Nolumus tamen a necessario rigore in re tanti momenti recedere, et ad curam animarum nullum applicari sinimus, nisi terminatis omnibus, quae maxime requiruntur, studiis, examine per Consistorium Nostrum, vel per alios a nobis delegatos probatum, et adprobatum. Regulares etiam Parochiarum Administratores nostro duntaxat cum indultu constitui, mutarique volumus. Eam quoque adhibere solemus cautelam, ut quibus in examine aliquid adhuc deesse videtur, ad novum examen post annum subeundum dirigantur. Illud autem impense Archidiaconis commendamus, atque etiam districte praecipimus, ut subjectorum sibi Parochorum, Administratorum, et Capellanorum industriae, studiis, et doctrinae in explanando verbo Divino, administrandisque Sacris functionibus sollicite attendant, eos occasione visitationis pro re nata pertentent: si quos socordes, disolutos, et in praedictis errantes compererint; eos officii sui admoneant, admonitione frustra adhibita, ad nos deferant, ad Seminarium, aut Monasterium recolendorum studiorum, et vitae spiritualis paeceptorum causa relegandos.

9. Adhibemus et alia administricula fervorem sacerorum studiorum in Clero Christianam exponent, de ea deinde in templo ubiores Catecheses tractandum. Nolumus vanam illam audire excusationem: *non comparent*, ne cum rubore obijicere cogamus, apud Acatholicos diligentissime haec omnia tractari, ultiroque ad Scholas, et Catecheses teneram aetatem comparere; atque adeo solis Pastoribus, et magistris apud nos adscriendum esse, quid quid mali e ruditate populi proficiuntur. Interim meliora sperantes Divinam nostris, Vestrisque conatibus de coelis opem deprecamur, paternamque nostram benedictionem Vobis omnibus impertimur.

Datum Claudiopoli, die decima-quinta Novembris, Anno Domini
Millesimo Octingentesimo-quarto.

Josephus Grisebach



BIBLIOTHECA
ASTRA
SIBIU

Ad mandatum Reverendissimi Ordinarii
Daniel Fantalgio Secretarius.